



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 37. Ad Pontificatum adspirantium nomina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.

A.C. 1559.

hæ ipsæ rationes tantopere Cardinalibus probabantur, ut Galli de viginti quatuor Cardinalium suffragiis certi essent, atque ex Cæsareis adhuc quatuor, vel quinque accessuros sperarent, si forte ad eam electionis normam, quæ vulgo accessus appellatur, progredi oporteret: equidem tam secundum electionis successum sibi pollicebantur Gallum ob propria Turnonii Cardinalis merita omnibus nota, tum ob dexteritatem illorum, qui hoc negotium in ejus favorem promovebant: quinimo firmum, fixumque habebant, quod tunc, si forte hac via consilii sui exitum obtinere non possent, quinque alios Cardinales, qui sua ferre suffragia polliciti sunt, ad accessum sollicitare vellent, hacque ratione felici successu frustrari haud timerent: Attamen cum ex illis quinque, qui antea suam eis fidem obstrinxerant, primos quatuor ad hoc obsequii genus minus promptos cernerent, sua Cæsareis consilia manifestare minime audebant, veriti, ne Turnonii Cardinalis honorem in discrimen adducerent, quam ob causam rursus hoc negotium suo caruit successu.

§. XXXVII.

*Ad Pontificatum adspirantium
nomina.*

Hist. Eccles. Tom. XLIII.

X

In-

Sæcul. XVI. Inter illos, pro quibus suffragia palam
A.C. 1559. colligebantur, adhuc alii quatuor,

Sacchini hist.
Soc. l. 3.
num. 41.

aut quinque numerabantur, iique erant
Cardinalis Carpius, Jacobus de Puteo,
Hercules Gonzaga, Hypolitus Estensis,
& Pacceus, quinimo, si quæ nonnul-
lis Historicis Jesuitis fides, de ipso etiam
Patre Laynesio supremo Societatis Præ-
posito in Papam eligendo agebatur:
enimvero Carpius Cardinalis sub Pauli IV.
Pontificatu pluribus Cardinalibus haud
vulgaria præstabat obsequia, cum apud
Papam ingenti valeret gratia: quapro-
pter ferme omnes sua eidem, si ita oc-
casio ferret, offerebant suffragia, inde-
que Carpio haud exigua spes affulgere
videbatur: Verum Hypolitus Estensis
vulgo Ferrariensis Cardinalis, qui Pau-
lo IV. infensus toto ferme ejusdem Pon-
tificatu Roma absens erat, ceteros Car-
dinales in Carpium conspirare intelligens
mox illius electionem evertere molitus
est, eo quod hanc Galliarum Regi mi-
nus gratam nosset, atque insuper Fer-
rariensi Duci, quem odio plusquam
vatiniano insectabatur, Carpiensem Du-
catum eripere statuisset: ut ergo eo se-
curius sua consilia ad exitum deduce-
ret, Cosmam Florentiæ Ducem, cui
non modo amicitia, sed & fœdere jun-
ctus erat, adiit, eumque rogavit, ut
S.R. Ecclesiæ Thesaurarium, sibi sum-
mopere

mopere addictum, atque Hispanæ fa- Sæcul. XVI.
 ctionis Principem eo inclinaret, ut Car- A.C. 1559.
 pii electionem præpediret: eapropter
 Cosmæ pollicebatur, quod vicissim om-
 nem ipse operam impendere velit, ut
 Medicæus, vel Hercules Gonzaga vulgo
 Cardinalis Mantuanus, quos ambos
 Dux omnibus studiis amplectebatur,
 eligerentur. Annuat Cosmas huic pro-
 positioni, moxque datis ad Thesaura-
 rium literis eidem omnia sua patefecit
 consilia.

§. XXXVIII.

*Carpîi electionem evertendi rationes
 a Thesaurario allatæ.*

Itaque Thesaurarius Cardinalis non
 modo Florentiæ Duci obsequendi stu-
 dio incitatus, sed etiam privati commodi
 rationibus permotus Carpii electionem
 minus sibi acceptam habebat; cum enim
 nuptiæ inter Carpii sororem, & The-
 saurarii Fratrem agitarentur, hucusque
 vero nonnisi pollicitationes utrinque
 fuissent factæ, verebatur Thesaurarius,
 ne Carpius Vir multum ambitiosus, si
 in Papam eligeretur, Sororem suam in
 nobilius adhuc connubium collocare me-
 ditaretur, cui indignationis causæ ad-
 huc alia accesserat; quippe Carpius
 olim Bituricensem Cardinalem ad de-
 functum Pontificem ablegavit, ut de
 X 2 omni-